
DOCTORI

IOANNI DE SOSA

Sotomayor, Medico, ac Chirurgo præſtantiſsimo.



DOCTOR SIMON RODE-ricus Ramos de falſitate opinionis inungen-di capitis argẽto viuo, atq; de qualitate eiuſ-dem argenti viui in confirmationem ſuæ veriſsimæ opinionis pau-cula perſcribit.

CVM LICENTIA.

DVPLICI NOMINE, DOCtor amplissime, mihi gratissimæ, fuerunt tuæ rationes; vno quidem quod graui ad modum oneri, quod dudum imbecilibus humeris meis assummere volebam, te quoque validissimã manum admouisse conspexi altero quod in his, quæ à te antea edditæ sunt, paucula etiam dicere tentarim; quæ litteratissimis hominibus, qualẽ te esse cognoui, placitura iudico; fecisti igitur me vt verum ingenuè fatear, ex tuis rationibus audaciorẽ; & meas mihi rationes plausibiliores ita reddidisti; vt tentare non sim veritus illas bonis viris Doctissimisq; hominibus perlegendas offerre. Placet enim tibi quod non admittam falsam, illam capitis inungendi opinionem ab aliquibus huius ciuitatis medicis insignibus probatam, quæ tantum abest vt sit bona, vt ab omni republica expellendam veluti inutilem deceptoriam & omni penitus veritate carentem putem, longior autem fuerim, superfluòq; laborauerim, si perniciosa eorum dogmata velim sigilatim confutare, alioqui a Ioanne de Vigo, Falopio, Manardo, Fernelio, & alijs refutata; ad quos illi remittendi sunt qui veritatem in hac controuersia perfectè scire desiderant. Vt igitur tantam rem agrediar, iure iudicaui priús argenti viui qualitatem depromere; vt inde nostra clarior euadat disputatio: inqua re sic me geram, vt priús argumenta probantia argentum viuum calidum esse adducam: secundario aliqua proponam fundamenta, & cõclusiones ve-

ras statuam circa illius qualitatem: Tertio argumẽtis satisfaciam: Quarto ex dictis corolarium educam, inquo breuiter probabo nullatenus caput in vngendum fore; quo finierur nostra cõtrouersia: quæ vtinam sit ad vtilitatem nostram, vt inde melius luem Gallicam posimus ab ægrotis penitus extirpare.

Ad primam igitur nostri tractatus partem deueniendo probatur. Primo argentum viuum calidum esse: quidquid mouet, agitat & humores conturbat, & expurgat, debet esse calidum; sic videmus in medicamentis purgantibus, in quibus semper caliditas reperitur: Sed argentum viuum hos effectus causat: ergo argentum viuum calidum necessario debet esse, Probatur maior, quia conturbatio, & commotio, sursumq; delatio medio fit calore, sicuti torpedo, quies, & deorsum ferri media fit frigiditate; sed argentum viuum conturbat, expurgat, atq; sursum ad caput, & palatum eleuat humores lue Gallica infectos: ergo necessario debet esse calidum.

Aristo. 4. meth. c. 5. Secundo sic: propium est caloris fundere, ac liquare, sicuti frigiditatis condensarẽ & vnire; sed argentum viuum liquat gummositates, & lentos humores in venis, & ambitu corporis contentos: ergo argentũ viuum calidũ est, & non frigidum.

Vide Valesium controuersiarum 5. & Gal. 4. simplicium. Tertio quidquid in se acrimoniã habet, calidũ est (secundæ enim qualitates primas insequuntur) quia sapor acris, tenuis, & igneæ naturæ cum sit ex calida, tenui, siccaq; materia nec alia consistere

potest.

poteſt;os acrimonia ferit,compungit,calefacit,ſæpeq; etiam exurit, penetrat,meatus aperit,craſſos humores extenuat,attrahit,& foras euocat vrinas menſes & ſudores mouet; ſed argentum viuum maximam habet acrimoniam, & illam in humoribus inducit:ergo argentum viuum,cum hos omnes effectus cauſet,quos modo diximus; calidum neceſſario debet eſſe. Maior probatur ex Galeni authoritate quarto:ſimpliciũ 5. vbi ex varietate ſaporũ varias educit qualitates.auſtera enim & ſtryphna á Græcis, à nobis a cerba vocata, vt in qualitatibus actiuis non multúm ab aqueis recedunt,ita in paſsiuis non parúm diſcrepare credenda ſunt, quemadmodúm acida quę ſi ex actè acida ſint,frigida potius, quám calida putanda videntur; quæ autem ex actè dulcia ſunt, calida modicè eſſe nemo dubitabit: ſicuti,amara quãtò dulcibus calidiora tãtò acribus eſſe minus calida, at quæ mixta ex varijs hiſcè ſaporibus ſunt promixtionis varietate mixtam quoq;temperaturam habere neceſſũ eſt.Hoc eſſe verum patebit omnibus totum quartum librum ſimplicium medicamentorum lectitantibus & inconfirmationẽ aſumpti videãtur verba Galeni ſcitati 8.cap.parum poſt principiũ §.rurſum ad acres orationem vertamus ac primum ex actè ipſos calidos dicimus &c. vbi multos, varios que caloris effectus abacri ſapore procedentes cõnumerat, qui noſtro argento viuo propter ſuam exuperantem acrimoniam conueniunt.

Quarto ſic: penetratio eſt qualitas,quæ ſemper calorem

4.ſimplici 8.capte. Vide Ioannem deVigo & Valcaçar proprio ca. 8. de cura mobi Gallici Pareũ de lue venerea lib. 18.cap. 13

calorē insequitur:sed tanta est penetrationis vis ar gēti viui, vt si cerotū tibijs imponamus, sensim, & paulatim ad palatū caput, & omne genus neruo sum penetrat:ergo tanta penetratione, impossibi le videtur, quod argentum viuum non sit maximè calidum.

Vide Fernelium de abditis rerum causis lib. 2. cap. 18. infine.

Quinto agilitas, motusq; ille celerrimus est passio quæ semper nimium consequitur calorem; sed tantam in se habet argentum viuum agilitatem, vt formam viuētem, quę moueat, habere videatur. ergo ista agilitas, & motus ab exuperante calore debet prouenire, & non ab alia qualitate.

Consiliator differētia. 151

Sexto vis illa corrosiua quę gingiuas errodit, & exulcerat, nullo modo a frigiditate, sed a calore debet prouenire. ergo saltim aliquas partes debemus concedere calidas, a quibus tenuitas, visq; corrosiua procedit, vt inquit. Conciliator, qui duplicem naturam argento viuo tribuit, terream quandam & sulphuream; aqueam alteram: qua propter duas qualitates attingit, secundum duas naturas quibus potitur, & gaudet.

Septimo probant suam opinionem authoritate Galleni Abj: Aliabatis, Rasis Aris. Cōstantini Iachini, Nicolai Massæ, & aliorum apertè tenentium ar gentū viuum calidum esse: nitūtur fortasse rationibus & argumentis iam supra adductis.

Hęc sunt argumenta quę probare videntur argentum viuum calidum esse pro quorum responsione aliqua priús supponenda sunt

Primo supponendum est, cotidianam nos doce re

re experientiam varios effectus nobis manifestos quorum instrumentalem efficientem causam nobis ignotam esse manifestè videmus voco instrumẽtalem qualitatem illam; media qua agens principale effectus attingit (quas enim interra videmus res varias, quis non miratur? quis eorum causas agnoscit? quis effectus per cognitos habet; quis aêris immensi miracula perspicit, aut explicata tenet? quis variorũ operum & mirabilium effectuũ naturas, & supra terras, & interris non intuetur, & in admirationem protrahitur? quis immensas terræ voragines? quis fœdas aêris pestes earumq; causas planè intellectas habet? quis exercituũ hominũ in aêrea regione interse pugnantium rationem reddet? quis est, qui, inquam, neget omnia hæc magnam habere admirationem & eorum rationem non posse ministrari? quis enim non videt, & admiratur Vasti Oceani naturam; qui mirebis inter duos lunæ exortus affluit, bisq; in alueum redit, eiusq; singulorum dierum incessanter fluxus & refluxus; quid de admirandis fluminibus, & fontibus, qui modò hic frigida modo illic calida scaturiunt; non nulla etiam maria diuersas aquas calidas, frigidas, puras impuras, salsas, & dulces in eodem alueo habere non miratur? quis magnetis, aliorumq; lapidum, & medicamentorum purgantium qualitatem (vt philosophiæ debetur) ad vnguem percallere potest? quis rerum mirabiliũ, quas Plinius in libris de naturali historia refert, naturam poterit ostendere? quare necessitate con-

victi quandam multis rebus qualitatem incognitam & indiscibilem tribuere debemus, media quæ effectus varios & miraculosos produci conspicimus.

Secundo supponendum est tanquam certum & firmum, quod postea probabo, argentum viuum esse venenũ, & malefica ocultaq; qualitate animãtibus omnibus summè aduersari, atq; eorũ substãtiã discipare & putre facere, non pondere nec grauitate (vt malequidam) nec propter impotentiam ad actuationem; nam sic omne graue, & quod minimè actuari potest â nostro calore, venenum esset, sicuti aurum, argentum. & alia metalla quę nullatenus propter pondus & impotentiam ad actuationem venena dici possunt.

Iacobus Greuinus lib. de venis cap. 1.

Proqua veritate confirmãda, & stabili reddenda sciendum est venena omnia triplici natura constare. Prima proprietas occulta appellatur, quæ specificæ cuidam & occultę quatuor elementorum mixtioni innitur; secunda est, quæ vim suam in qualitatũ excessu exercet. Tertia est & omnium maximè periculosa, quæ, & si quantitate sit minima, subito eum intra corpus fuerit assumpta, & actuata, parua mora interposita pestifera infert accidentia, quam propie venenum appellat Auicenna lib. 2. de medicamẽtis cordi conferentibus. Hoc enim proprium habent non ob excessum caloris, frigiditatis, humiditatis, vel siccitatis, sed ob peculiarem quandam malignitatem, quam nõ solum expeculiari, & occulta elementorum mixtione

tione contraxerunt, sed (vt aliqui putant) ex alicuius signi cœlestis influxu propter materię dispositionem acceperunt, nihilominus qualitatibus suis innituntur, & sustinentur: cuius generis est argentum viuum, quod & si ad frigiditatem vergat & illa sit manifesta qualitas suæ formæ conseruatiua, tamen ex modo mixtionis elementorum, & ex influxu Cœlesti quandam malignam, specificamq; qualitatem adeptum est, qua nobis, & omnibus animãtibus etiam paruulis, vt pediculi sunt, toto genere deleterium sit.

Tertio supponendum est sicut dantur varia medicamenta quę certis & determinatis partibus magis proficiunt vt absintium ventriculo & iecori, caparri lieni & inter medicamenta expurgantia Rhabarbarum maiorem cum iecore familiaritatē habet quàm cum alijs partibus, agaricum cum ventriculo, carthamum cum pectore & sic de alijs, sic danturvaria venena quæ certis determinatisq; partibus magis sunt obnoxia vt cantharides vesicæ lepus marinus pulmonibus, imo quod magis est inter venena quædam sunt quorum sympthomata primũm vel incerebro, vel in iecore, vel incorde in conspectum veniunt, vt de Iuschiamo legitur qui statimpercerebri lęsi sympthomata cognoscitur. quemadmodũ ephemeri colchici per alui fluxum in quo excrementa, similia loturę carnis rescenter mactatæ apparent sic argentum viuum quã dam antipathiam cum toto genere neruoso habet vt eius temperamentum destruat maligna sua qua

B litate

litate resoluto quę temperamento & tanta frigiditate inducta vt nec febri ardenti caleat, & ita paralisis apoplexiæ aliorumq; frigidorũ affectuũ est causa: quę frigiditas meo videri nõ est solũ propter frigiditatẽ argenti, cũ ipsum tantam frigiditatem non habeat vt calorem natiuum possit deuincere & eius loco tam intensam introducere frigiditatem.

Nec etiam propter calorem corrumpentẽ dissipantem & resoluentem (vt malequidam) quia, si a calore corrumpente fieret cur partibus extra applicatum tanta fricatione ipsas non corroderet, & maximẽ exulceraret; sicuti calx, sandaraca, & auri pigmentum.

Nec valet, si dicant; quód sandaraca, & calx actuantur a calore partium externarum, minimè veró argentum viuum: quantam hæc responsio falsitatem habeat probatur, quoniam impossibile est, quod effectus argenti viui appareant, & quod non sit actuatus at in illis qui invnguntur effectus apparẽt videlicet illa pernitiosa & maligna sympthomata atq; illa totius corporis conturbatio, & evacuationes per sputum per aluum, per sudorem & per resolutionẽ: ergo necessario debet esse actuatum; si ergo est actuatum & opera illius a calore fiunt, quare tanta fricatione cutim & carnes, quas penetrat, nõ exulcerat nimia sua caliditate? quod præstat allium; & piper, calx, & alia quæ non tantum habent calorem, sicuti ipsi afferunt argentum viuum habere.

Quar-

Quarto supponendum est duas argenti viui differentias constituendas fore, natiuum vnũ & purum, quod in uenis fodinarum argẽti viui inuenitur: alterum factitium cuius componendi rationem Dioscorides lib. 5. docuit. nostra igitur controuersia nõ est nisi de puro argẽto viuo, quale in sua minera reperitur, non verò de calcinato & factitio (vt propio Valeriolæ vtar verbo) quod propter calcinationem & variam eius compositionem adurendi qualitatem consequtum est.

Valeriola in suis obseruationibus in ille qui sublimatum assumpsit.

His sic constitutis; veniamus modó ad secundã nostri tractatus partem, inqua conclusiones statuamus circa qualitatem ipsius argenti viui. Sit prima conclusio. Argentum viuum nullo modo calidum & siccum est, sed frigidum & humidum hanc conclusionem expræssè tenet Abi. 2. canonis capite de argento viuo, Albertus Magnus lib. de mineralibus propio capite Guillermus Placẽtinus 5. suæ chirurgiæ, Mathiolus etiam extremè frigidum & humidum esse scripsit & sua frigiditate humores corporis congelari & humiditate putrefaciente infici quo fit vt qui id assumpserunt fædũ ex ore halitum reddant; tenet eandem sententiam Libabius lib. 1. commentationum metallorum & multis alijs inlocis.

1. Conclu.

Huius conclusionis primam partem, præter authoritates, rationibus & experientijs confirmatur: quod stupefaciendo dolorem sedat frigidum debet esse at argentum viuum hoc prestat: ergo frigidum est.

Et confirmatur quia in emplastris appositum in hibet pustularum inflammationum biliosarũ acrimoniam: ergo non nisi frigiditate potest id efficere. Mitto etiam quòd repercusiuum est, vt latè & Doctisimè Doctor Sosa probat in suo tractatu de argento viuo, & nos suo loco probabimus.

Frigidum inimicum ofsibus dentibus neruis & spinali medulæ inquit Hippo: 5. apho. 18.

Secundò quod capiti, ofsibus, neruis, dentibus, & spinali medullæ contrarium, & inimicum est, debet esse frigidum; sed argentum viuum omnibus his partibus aduersatur; ergo frigidum est. Maior est Hippocratica sententia certisima, minor probatur experientia cotidiana in fossoribus minarum argẽti viui, qui paralisi, tremore, & apoplexia (qua multi interimunt) corripiuntur, & in illis qui vehementè invnctionem acceperunt tremuli reddũtur, dentes & a suo propio loco multoties excedunt: ergo necessariò frigidũ debet esse.

Præterea Tertio ortũ suis principijs debet atestari sed argentum viuum & componitur ex plumbo, & alijs metallis, quę frigida sunt, vt Libabius in suis opusculis, & omnes alchimistæ fatentur: ergo frigidum est. Quod si huic argumẽto respondeas, hoc non semper esse perpetuum, cum calx viua ex silice & materia lapidea constet quę frigida est & tamen causticum & nimium calorẽ in se continet.

Facilè huic argumento respondetur, calcis calorem in calcinatione & nimia ignis concrematione fuisse adquisitum & introductum quod sæpe quotidiana experientia videmus in medicamẽtis calcinatis empyreuma, vi ignis derelinqui quod

non

non amittit, quin potius ipso causticam potentiam adquirit; non sic argentum viuum purũ quod nullatenus igne calcinatum est.

Quarto sic arguitur; si argentum viuum calidũ esset non ita igni aduersaretur vt tãto pondere sursum eleuetur contra eius naturam contrarium fugiens, & ita auro esset familiare quod est frigidũ vt ipsum vbiq; quærat quod naturaliter facit propter eius conseruationem, & prohibendam corruptionem; at si calidum esset à suo simili non fugeret & contrario appeteret conseruari; nam sic leges bonę philosophiæ præuerterentur: ergo frigidum est & non calidum.

Quinto de ratione frigiditatis est quod liquida fluida que concrescat, & congelet, sicuti caloris quod ipsa fundat & liquet; at illud præstat argentum viuum sua frigiditate cum maligna qualitate cõiuncta hoc verò minimè propter calorẽ, sed aliã ob causam, vt postea probabo: ergo frigidum est. Maior est Aristotelis doctrina confirmata & certissima: minor probatur Abicenæ authoritate, qui experiẽtia in Simia quę argentũviuũ ebiberat, sanguinem circa cor concretum esse inuentum, disecto cadauere, afirmat. Et Consiliator quandam affert historiam Pharmacopolæ cuiusdam, qui febrilis sitis restinguendæ causa ex hausto argenti viui pleno vasculo, quod primùm se obtulerat, aquam sub esse ratus, paucis posthoris interijt; & disectis visceribus, sanguis circa cor congelatus fuit repertus.

Aristoteles 4. Meth. ca. 5.

Reynerius Solenādrus de fontium temperaturis cap. 5.

Sexto ſcimus & cotidie repertũ inuenimus ſulphureas aquas actuali caliditate fulciri: vt refert Reynerius aliquos viſſos fuiſſe fontes ſulphureos qui mixtionem argenti viui habebant frigidos actu ſcaturire; quod nullam propter aliam rationem contingere dicendum eſt, niſi quia frigiditas argenti viui caliditatem ſulphuris deuincens, ipſas aquas ſua qualitate infectas frigidas reddit.

Secunda pars huius concluſionis, ſcilicet quod ſit humidum probatur quia humiditate cirroſos humores concretioneſq; diſoluit & liquat non calor evt in thophaceis nodoſiſque tumoribus apparet quin etiam inuncti maximè fœtidum anhelitum expirant non alia ratione niſi quia humores obuios ſumma ſua humiditate putrefacit.

Multas alias rationes affert Doctor Soſſa in opuſculo nuper in lucem eddito de argentiviui natura videlicet quia ponderoſum eſt colore aluo lucido & aquoſo, ſaporeque inſipido & eius figura iſtar grandinis & eius nomencleatura iddem oſtẽdit; dicitur enim Idrargyrō, hoc eſt argentũ aquoſum ſed, aqua frigida eſt & humida ergo & ipſum argentum.

Secunda concluſio; vi quadam, occultaq; proprietate argentũ viuum morbo Gallico contrariũ eſt. Hæc concluſio probatur hac ratione; contraria contrarijs è corpore debent extirpari, ſed qualitas morbi Gallici, qua totam Maſſam ſanguinariam & iecur inficit non eſt manifeſta ſed occulta; ergo alia qualitate occulta debet extirpari; Maior

eſt

est Hippocratis authoritate, & omnibus vt axioma, & verum principium certissima: minorem probare mitto quia nullus reperietur qui id esse verum non fateatur vnde necessariò si argentum viuum penitus Gallicam luem ê corpore extirpat, illud qualitate occulta & non alia debet efficere. *t. apho.*

Quod si dicas; non esse necessarium, vt occultæ morbi Gallici qualitati primò & perse contrarietur, sed sat est quod ex accidenti illi aduersetur, quatenus evacuat humores lue Gallica infectos: contra sic insurgo.

Si ex accidēti hoc efficeret; quodlibet medicamentum expurgans crassos, lentosq; humores, quos hæc qualitas magis attingit; luem Gallicam sanaret; sed nullum reperitur medicamentum expurgans præter argentum viuum Guaiacum chinam smilacem asperam &c, & alia huius conditionis, quæ omnia eandem habent occultam proprietatem, malignam iecoris, Massæq; sanguinariæ intemperiem corrigendi: ergo occulta propietate id valet efficere.

Præterea Rhabarbarum attrahit bilem cartamum & agaricum potuitam & menalagoga melancholiam: non quia calida, frigida, sicca, aut humida, sed, quia talia; hoc est quia habent propietatem quandam oc ultam ad hosce humores è corpore detrudendos: ergo si argentum viuum humores Gallicos expurgat, non quia calidum, frigidum aut humidum id præstat sed quia tale; hoc esse verum probatur ex mirabili

argen-

argenti viui natura qua omnes effectus præter rationem nobis cognitam & appertam causare videmus, quid de eius ponderositate qua pollet cum qua necessario partiũ crassitudo debebat copullari; & adeô est tenuiũ partium vt omnia vel durissima metallorum corpora subeat, penetret, atq; dissoluat; multa è corpore persudores dissipat quædam purgatoria vi in aluum deturbat. Multamq; pituitam ex ore prolicit quo circa ex accidenti desiccans vacuansq; sympthomatũ materiam nõ parũm succurrit, vt optimè ait Fernelius; quod nullomodo tanto pondere id præstare posset nisi aliquid diuinum, & occultum intus delitesceret.

Fernelius li. de abditis rerum causis cap. 14. circa finem.

Quis etiam negabit antipathiam illam quã cum toto genere neruoso vel (vt melius dicam) cum omnibus partibus seminalibus neruis scilicet ossibus, dentibus, spinali medulla, & alijs huiusce cõditionis, á potentia, viq; occulta promanare & inimicitiam & auersionem quam cum igne habet rationibus manifestis poterimus deprehendere? minimè gentium; ignis enim vi argentum viuum natura sua ponderosum superiora scandit, aurumq; (si auro est adiunctus) deserere cogitur quo ipsi ... nihil est amicius.

Tertia conclusio argentum viuum vim quandam deleteriam toti nostræ substantiæ prorsus infensam habet, hæc cõclusio expræssè est ad Galleni mentem qui inter venena, quę tota substantia agunt, argentum viuum connumerat, cuius hæc sunt verba: at sunt quę tota essentia nobis contraria

Quinto. sim pli. 18.

ria

ria sunt; proinde si vel minimum eorum assumptū fuerit omnino lædet necesse est, ceu Dryopteris, & Pityo campe, & Tapsia, & Solanum manicum, & Hydrargiros, & fungorum non nulli, præterea saliua & fel venenatorū animalium: hec Gallenus eandem sententiam tenet Fernelius lib. 2. de abditis rerum causis. Manardus 14. epistolarum Iacobus Greuinus 2. lib. de venenis. Estq, ferè omnium neotericorum sententia quam probo his rationibus. Primo ea qualitas; quæ nec calore, nec frigore, nec humido, nec sicco interficit rectè venenosa & occulta dicenda est, hoc autem præstat argentum viuum: ergo venenosum est. Maior est certa: minorem probo; non calore, cum iam satis probatum habuerimus nullatenus esse calidum non frigiditate, nam si frigiditate id efficeret non nisi magna quantitate, cum intus assumpta frigida venena & largiùs ebibita quædam demētent, quædam mortem inferant, at leui pilorum fricatione argenti viui pediculi enecantur: ergo maligna qualitate: & cotidiana experientia docet pueros sola duorum granorum quantitate mortuos fuisse repertos vt inquit Laguna supra Dioscoridē propio capite.

Fernelius lib. 2. de abditis rerum causis cap. 15. & Manardus 14. epist. 11. & Iacob. Greuinus 2. cap 21.

Præterêa congelationem illam, quam in sanguine causat quare a frigiditate sola nec a calore fieri dicendum est, nec ab vlla manifestaqualitate; cum multa si assumantur venena frigida in 4. gradu, & si in magna quantitate sumantur, mortem sitó causabunt sine sanguinis concretione, sed, ipso

fluido & liquido in corpore permanente: ergo à frigiditate non prouenit solum. Nec etiam a calore dissipante sanguinis calorem & accidentaliter & priuatiuè producentem frigiditatem; nam quantò aliquid calidius est tantò melius& citius ab assumpto ipso sanguinē congelaret;sed ab assumpto sublimato seu calcinato Hydrargiro quod calidissimum est, sandaraca, & auri pigmento nullo modo sanguis congelatur & concrescit: ergo non a calore. Nec a siccitate, & humiditate: cum congelatio non possit fieri a similibus qualitatibus: ergo necessariò ab aliqua maligna & occulta qualitate causatur.

Nec audiendus est Ambrosius Pareus, quem in confirmationem suæ sententiæ contrarium asserentes afferunt, qui multis experientijs probat non esse venenum: vt videre est in historia a Mariano narrata, qui inquit vissam sibi fuisse mulierem, quæ certis de causis & affectionibus pluribus vicibus sexqui libram hauserit, quam sine noxa per aluum reddebat & in illiaca collicaq; passione valde profuisse asserit: & Antonius Mussa ipsum argentum pueris vermibus moribundis exhibet: quod confirmat Abic. asseтens argenti viui potū multis fuisse innoxium: & Mathiolus vt summum remedium parturientibus proficere asseuerat: ex quibus ipse Pareus venenum non esse sibi persuadet.

Quæ experientię non deberent illum conuincere, vt asseretet non esse venenum, cum faci-

le illis respondeatur experientijs; dicendo, quod intermedicamenta quædam celeris, quædam tardæ, quædam verò tardissimæ actuationis reperiuntur: celeris actuationis est vinum, de quo Gallenus inquit quód nihil ipso celeriús nutriat; tardæ actuationis sunt medicamenta, quæ crassam habent substantiam duram & compactam; tardissimę actuationis sunt illa quæ crassissimā & duram maximèq; pōderosam ipsam substantiam, seu substantiæ modum aquisiverunt, inquibus omnibus differentijs etiam latitudo maxima invenitur.

Viuum igitur argentum propter substantiæ modum maximè actuationi renititur, & multoties á corpore sine ipsa detruditur, vt ferrum, aurum, plumbum, & alia metalla; at si ipsum argentum actuationem naturalis caloris consequatur, statim venenata accidentia mortiferaque inducet; vnde prouenit quod multoties sine noxa in magna quantitate summatur, vt aurum, & argentum, quin potius suo pondere humores in intestinis contentos & vermes per aluum detrudat, & expellat; & hoc melius sumpto Hydrargiro in magna quantitate contingit, & securius assummitur quám in parua; quia in magna quantitate dispositionem illam quæ ad actuationem requiritur comminutionem scilicet & triturationem non suscipit magna argenti viui quantitas, parua autem optimè trituratur, & comminuitur, ac perinde actuationē consequitur, qua interfi cit & deleterium existit.

Vel secundo respondetur maximam cum humoribus turgentibus similitudinem argentū viuū habere in motu illo, huc & illuc & vndiq; fluentem, & quemadmodum turgentes humores propter inordinatum ipsorum motum natura cum sit tunc maximè adminiculans leui quodam pharmaco assumpto sine præparatione & coctione a corpore detruduntur; sic argentum viuum assumptū, cum, motum maximé similem turgentibus humoribus habeat, ponderositate, qua pollet, in ventrem & inferiora vergens vi simul naturæ expultricis sine actuatione a corpore expelli necessūm est, vnde, sicuti turgentes humores leui quodam pharmaco trahuntur. quia motus ille vndiq; facile conuertibilis leui medicamento trahēte naturaq; expellente impetum versus intestina assūmit: sic similiter assūmptum argentum viuum propio pondere inferiora scandens ad intestina descendit, & quod in turgentibus humoribus pharmacum facit in turgente Hydrargiro proprium pondus præstat in vtrisq; natura existente adminiculante, & ad expulsionem maximè excitata.

Quibus sic positis fundamentis: ad responsionem argumentorum deueniamus, vt nostra de argenti viui qualitate concludatur oratio. Ad primū quod probat calidum esse ex agitatione nimia & conturbatione qua fulcitur & omnes humores lue Gallica infectos per omnem regionem d[illegible]turbat, Respondetur conturbationem illam & humorum agitationem prouenire ab ipsa argenti viui agi-

agitatione, quam habet, qua in omnem partē vergit, & nullibi consistere potest: at quando sursum tendit ad caput, palatū ad aliasq; partes superiores quo motu humores expurgat, prouenit ille motus ex eo quod maximè igni, eiusq; qualitati, ad versatur; & postquam vi caloris naturalis in actū reducitur argentum viuum, duo apparent, maligna scilicet eius qualitas atq; auersio hæc quam cū calore habet, hac contrarium & inimicū fugiens contra eius naturam sursum tendit, illa verò humores conturbat, & sua qualitate maligna inficit facultatem, excitat expultricem: & ipsam ita irritat, vt per omnem regionem, perquam quoscūq; humores expellit, expellat, per palatum scilicet, per sudorem, per resolutionem, atq; per alui fluxum; vt pote tum maligna, occultaq; argenti viui qualitate, tum etiam humoribus illis sic coinquinatis maximè opressa.

Ad secundum respondeo effectus illos fundere & liquare ab humiditate qua humores induratos emollit & a notiuo partium calore fortiori in contrarij præsentia reddito per antiperistasim fieri dicendum est. Sicut enim aqua frigida, vt Hippocrates, & Gallenus testantur, nempe frigiditate nimia natiuus calor ad interiora pér antiperistasim reuocatus postèa forrior e vadens sudorē arcessit: sic argentum viuum hos effectus accidētaliter causat reddendo fortiorem naturalem calorem præsentia contrarij ad interiora recurrentem: quo fit vt humores liquet, & sudores moueat, aliosq; ca- *Hippo.6. apha.& Gallenus 2. ad Glauconem 3. simpliciū*

 loris

loris effectus producat.

Ad tertium respondetur argentum viuum nullatenus acre esse, sed solum humores, quos sua ebulitione commotioneq; mouet acres & mordaces esse, & quando acre argentum viuum foret, nō semper ex saporibus, nec ex secundis qualitatibus primas fore indagandas Gallenus enim 3. & 4. simplici: & Aberro 5. colliget & Abic. 2. canonis apperté demonstrant iudicium â secundis qualitatibus esse debile ei tantúm vni fidit Gallenus, quod ab operatione deducitur, scilicet quod calefacit calidum est, quod refrigerat frigidum facta experientia in homine temperato, aut in corpore ęgrotante argumento ducto aiuuantibus & nocētibus id enim, âquo calidum corpus lęditur, calidũ est, & a quo frigidum, frigidũ est: vnde Vallesius hoc vnum deducit; nullum esse certum argumenti locum ad inueniendum cuiuspiam temperamentum ex secundis qualitatibus, sed ex modo quo nos afficit solùm; vt v. g. alba quę calorem ateſtantur, & nigra frigiditatem, nix autem frigida sit, multaq; nigri coloris calida, & sapor cicutæ sit amarus, cicuta autem venenum frigidum est: vnde constat falsò & malé semper primas qualitates per secundarum effectus indagandas fore.

Gallenus 4. simplicium vltimo.

Nono cōtrouersiarum 5. capite.

Ad quartum respondetur argenti viui penetrationem prouenire ex inimicitia quam cum calore âquo est actuatum & antipathia quam cũ genere neruoso, ossibus, dentibus, & alijs partibus seminalibus habet, quod facit, tum propter inimici fugam

gam,tum etiam propter appetitum,quo omne genus seminale attingere cupit, ad quod etiam maximè iuuant res,quæ compositionem vnguenti ingrediuntur,quæ magnam in penetrando vim adipiscuntur,iuuatq; etiam a forti fricatione qua ægrotantes fricantur.

Ad 5.respondetur agilitatem illam argenti,velocemq;eius cursum,& motum assiduum non a calitate prouenire,cum alia eo longè calidiora minimè moueantur:nisi atterreitate & aqueitate quadam,atq; sferica figura in eo admixtis,quo fit vt tãgenti tantúm in puncto ipsum Mercurium non adhæreat facilè,fugiens:vt optimé Consiliator proprio capite inquit. *Consiliator, differentia 151.*

Ad 6.respondetur dicendo tenuitatem illã quã argentum viuũ post actuationem consequtum est ex eo dimanare : quia post actuationem infumos evanescit & facilè exhalatur querens in exhalationem conuersum partes illas quibus meliús ipsum posit conseruari;&exulceratiõnẽ linguę labiorũ, gingiuarũ,& palatus fieri;quia hę partes nimis laxę sunt & impetum maligni,errodentisq;humoris nullo modo possunt suscipere,vt Sossa de bubone venereo : quare exulcerationem illam ab humore errodente per illas partes transeunte fieri dicendum est: non veró ab argento viuo cum partes omnes quę tanta fricatione invnguntur non exulcerentur, quod facit quodlibet medicamentum nimis calidum sine fricatione.

Ad vltimum reſpondetur quot quot afferuntur teſtes præcipue Gallenum & Abic. (quod ad maiorem pertinet machinam) non de argento viuo natiuo & puro, qualiter in venis fodinarum inuenitur, ſed de factitio & calcinato fore intelligendos. Circa alios autem authores non adèo eis ſumus aſtricti vt non veritati magis, ab ipſo ſiquidem Galleno didiſcimus, nulli quamtumuis ſummo plus credendum eſſe, quám quantum rationi & experientiæ eſt conſonū. Et Ariſtoteles Platonem amicum eſſe fatetur ſed magis amicam veritatem amplectitur.

Sed vt vnica ratione omnibus reſpondeamus argumentis qua noſtra concludatur oratio de argenti viui qualitate, dicimus effectus omnes miraculoſos, quos ab argento viuo effici conſpicimus, nō a manifeſta, nobiſq; cognita qualitate fieri ſenſemus: ſed ab occulta indiſcibiliq; proprietate dimanare. Ad cuius reſponſionis confirmationem ſatis fuiſſet videre tot cōntrarios effectus deorſum ſcilicet ferri ſurſumq; ſubleuari, congelationem & liquefactionem illam craſsiſsimæq; ſuæ ſubſtantiæ penetrationem, motum illum inordinatū vndiq; fluctuantem ſine extrinſeco, nec intrinſeco viuo motore: quid enim mouetur præter in ſuam ſpheram, quod non ab extrinſeco motore ſeu a viuenti forma moueri dicamus? quid dicam de varijs contrarijs effectibus quos ſcimus ab vna eademq; qualitate manifeſta fieri non poſſe? contingere enim nequit vt iddem per eandem facultatem eidem

dem rerum contrariarū sit causa quod ex Arist. col ligitur: hoc ipsum quod Aristoteles negat in argen to videmus, quare aut a duabus contrarijs qualitatibus manifestè elucētibus & dominātibus (quod est absurdū) fieri dicendū est; aut ab vna solum oc culta & incognita eminenter continente omnium primarum qualitatum vires, & ipsa argentum vivum pro materiæ dispositione circa quam agit op perari credendum est. *Arist. 4. me theorū 6. c.*

Hæc sufficiant pro huius quæstionis tractatione nunc restat ad quartam huius tractatus partem deuenire: inqua proposui breuiter disputare, vtrúm competat caput invngere? quam quæstionem Doctor Soffa in duas diuidit partes. Primo pertractare intendit, vtrum sit rationi consonum vnctionibus argenti viui vti? Secundo dubitat an caput invngendum sit? circa primam partem varij sunt Doctissimi Doctores qui similem invnctionem renuunt, veluti est Fracastoreus, Falopius, & Manardus alijq; quam plurimi: sed relictis rationibus, quas pro sua opinione confirmanda longo sermone Doctor Soffa adductit, ex dictis de qualitate argenti viui corolarium infero hac conclusione contentum.

Caput propter malignam argenti viui qualitatem frigidamq; propriam temperaturam, vt iam probatum est, nullatenus invngi debet. Hæc conclusio est ab omnibus recentioribus Doctissimis recepta, & ab illis etiam qui iunturas invngunt: vt videre est apud Ioannem de Vigo, Falopium, *Conclusio de in vnctione capitis.*

D & Val-

Valcaçar,aliosq;plurimos, quos taceo breuitati in nitens; & illam hac ratione probo 1.

Argentum viuum valet,& efficax est ad sangui nis concretionem (quod nullo modo contrarij ne gant) ergo melius humores in cerebro contentos congelabit:consequentia probatur, quia quod efficax est ad humores & sanguinem congelandum (cum sit maxima temperamẽti distantia inter sanguinem & argentum) meliùs id efficiet in humoribus in cerebro contentis; cũ citius præstet quod libet agens inter symbolizantia suum effectũ quã inter disymbola: ergo si sanguinẽ congelat,a quo maximè distat argenti viui temperamentum, vt iam probaui,melius humores cerebri congelabit, quibus maximé asimilatur.

Secundo sic infossoribus minarum argenti viui conspicitur, quód omnes breui temporis spatio, frigidissims capitis affectibus corripiuntur, non ob aliam causam nisi propter malignam, & frigidam qualitatem cerebro communicatam:ergo ab vnctione capitis fugiendum est;cum tantam noxã cerebro pariat, & tamen fossores non inunguntur. In cuius confirmationem videndus est Fernelius hæc verba proferens: multos ipse scio, vidisti inde epilepticos euasisse, quòd in curanda lue venerea,dũ vnguentis ex Hydrargiro illinirẽtur, nonnihil in aurẽ; & incerebrũ penetrasset, his ne quæsso dicas cerebri vẽtriculos humore multo im pleri & obstrui?minimé quidẽsed ipsum corrupti Hydargirij pernitie lacessiri hęcFernelius:ergo si

Fernelius de abditis rerum causis 2. lib. capite 15.

cau-

causa hoc argentũ à simili vnctione fugiendũ est.

Tertio probatur, argentum viuum (quidquid alij dicãt) repercussiuum est nõ nisi propter suam exuperantẽ frigiditatẽ: omne enim frigidũ repercussiuũest, vt Gallenus docet 5. simpli 5. & 11. metho. 15. & 13. metho. 8. ergo humor craneo contentus malignus & Gallicus ad cerebri substãtiam non debet repercuti, quin potius ad acutim auocandus, & quidquid incerebro præter naturam continetur expellendum.

Vide Valesium in com m. 14. meetheo. cap. 5.

Si dicas non nisi in magnis affectibus caput fore invngendum cum in magnis morbis magna remedia requirantur.

Quarto contra hoc sic insurgo: si caput propter affectus magnitudinem inungendũ est (quod per consensum hepatis laborat) meliùs pars affecta à qua tota dimanat lues deberet inungi; sed pars affecta àqua lues dimanat quæ est iecur non inungitur: ergo nec caput. Aut quæsso dicant mihi cõtrarium asserentes, propter quod iecur non inungitur? quia ipsum met eos conuincet asserere nec cor nec caput: cum omnes ita sint partes ad vitæ conseruationem necessariæ, vt sine illis homo viuere non posit, & illis male affectis non paruo vitæ discrimine?

Quod si vlteriùs respondeant inunctionem capitis leuem fore faciendam: quare eadem etiam leui iecur & cor non erit inungendum.

Præterea quinto probatur nec leui etiam fricatione posse inungi. (Ipsi enim asserunt fortẽ haud

 facien-

faciendam esse) argentum viuum ita difficilis est actuationis, vt multoties assumpto ipso a corpore sine noxa expellatur, quia actuationem non terigit: ergo minus extra actuabitur leui fricatione & a calore partium externarum, qui debilior multò est internarum partium calore: ergo vel fortis est exercenda fricatio, vt actuetur argentum (quod ab ipsis negatur) aut leuis nullo modo proficiet.

Sexto quæcumq; conquoqui opus est ipsa occludi oportet contraria veró exiccare: & aperire Hippocratis verbis comprobatum reperitur. Sed gumositates in capite contentas oportet non conquoquere nec occludere: ergo ipsas exiccare & aperire necessariũ est: sed hoc meliús efficitur cauterijs vt tenet expræsse Sossa: ergo illis erit vtendum non veró vnctionibus. Nec etiam emplastro ex duplicato Mercurio cum ex aposititione emplastri multi etiam visi sint, qui intensioribus doloribus cruciati numquam amissam sanitatẽ fuissent consequti, nisi actuali cauterio ipsi tumores aperirentur.

Sexto epid. sect. 2. text. 26.

Octavo in euácuationibus hoc vnum est obseruandũ, præcipuê si humor malignus venenatusq; fuerit, vt per principes partes non transeat; vt ex Abic colligitur. Sed, humor Gallicus, capite in vncto, non solúm transit per partes principes atque etiam argentum viuum, hoc est per cerebrũ quin potius in ipso cerebro immorari necessarió debet, quod pro viribus & posse fugiẽdum est: ergo vnctio capitis etiam erit fugienda. Maior est in bona medi

medicina recepta, & omni medicorũ ſchola cõfirmata & approbata, minor probatur ſic: de natura argenti viui & eius propietas eſt quod totum genus neruoſum quærat, & appetat illi adiungi, vt illud offendat, & deſtruat: ergo humor Gallicus cũ Hydrargiro mixtus neceſſariò quæret genus neruoſum, quod eſt in cerebrô & ſpinali medula & illi adiungetur, maximèq; offendet.

Præterea nono arguitur: humor turgens protinus eſt euacuandus a corpore ne alicui parti principali aquieſcat, & morbum acutiſsimum faciat; ergo Hydrargirũ turgens (& quod magis eſt, venenoſum) protinus euacuandum fuiſſet, ſi in corpore eſſet, & non ad cerebrum auocandum cum maligno & venenoſo humore Gallico. *Hippo. 2. apho. cõ coeta medicari &c.*

Decimo ſic, ad hoc vnuſquiſq; debet exerceri morbis vt proſsit vel ſaltim non noceat, vt optimè nos Hippo. docet: ſed tantũ ab eſt vt vnctio capitis proſsit, quin multi non ſolùm capitis verum iũturarum vnctionibus tantúm, peiores multó fuerint derelicti & incapaces ſanitatis conſequendæ, vt inquit Manardus, cuius hæc ſunt verba de Hydargiro: huius enim pharmaci, vulgato modo extremis mēbris admoti, tanta eſt & tã pertinax vis atq; malignitas, vt qui eo ſemel curati ſũt ſi (vt ferè omnibus contingit) in eũdē morbũ recidãt nullã aliã curationẽ admittant, ſed reliqua præſidia etiã alioqui valdè efficacia penitus reſpuere morbus videatur: quã rē cum ego annos ſupra triginta obſeruauerim eorũ curationem non accipio qui tali *Manardus 14 epiſt. 4.*

auxilio inuulgato modo sunt vsi &c. hęc Manardus vnde constat, vt ipse inquit, experientia obseruasse per triginta annorũ spatium nullũ hoc medicamento fuisse sanatum, etiam si sani visi fuerint; & postea subdit damna & incommoda quę cerebro veniunt ex Hydrargiri communicatione his verbis: Quantum verò argentũ viuum obsit cerebro, pręter antiquorum medicorum authoritatẽ, cotidiana monstrant experimenta; qui enim bracteas aureas argenteis vasculis super inducunt, quoniam id sine eo facere nequeunt, tremorem totius corporis sæpe incurrunt & quandoq; paralisim, & qui eo extrema mẽbra inungunt, statim mala vlcera quæ græci vocant aphtas, in ore sentiunt. Hęc ipse. Dicent ne contrarij Manardum Fernelium, aliosq; doctissimos medicos sine manifesta experiẽtia fuisse locutos? minimè? ergo illis fides pręstanda erit in capitis inunctione, si præter experientiam ratione etiam loquntur.

Idem Manardus profert hæc verba citato loco fol. 377.

Nec me facilè ab hac opinione desistent experientiæ quas ipsi adducunt, cum solum connumerent illos qui tanquam ab errore fuisse sanatos crediderim, & taceant alios quos fortasse multò peiores reliquerunt. Et quid credendum eorum, experientias veras esse si inter sanatos sua vnctione capitis referunt quendam nobilem huius ciuitatis virum, quem alloquens quidam huius ciuitatis peritus medicus; se nũmquam fuisse sanatum quin maioribus cruciari malis asseruit.

Et afferunt pro sua opinione fautorem Doctissimum

ſimum Doctorem Petrum Verdugo,cõmunẽ omnium magiſtrum & me numquam pœnitendum quẽ ſcio non ſolũ capitis ſed etiam iunturarum in unctionem maximè ab horrere;nec credo niſi viderim tantum Doctorem, & medicinę decus Petrum de Victoria huius opinionis inungendi caput aſeclã eſſe.Imô,quod magis eſt,nec inter medicos Salmanticenſes Complutenſes regiæ curiæ & Hiſpalenſes vix aliquis reperietur qui hanc defendat,exerceat,& protegat opinionem.

Quod ſi aliquos ſanatos viderint capite inũcto; nõ propterea talis pernitioſa opinio ſequẽda eſt: nam, vt ſupra dixi, rectũ ab errore potuit eſſe.Sic multoties cõtingit multos àquartanis liberatos fuiſſe in principio humore exiſtẽte crudo, aſſumpto eleboro aut alio forti&irritanti pharmaco.Quod maximè celebratMatihoilus cap.de eleboro.Et nihilominus ab Abic. condẽnatur capite de quartana, atq; etiam propter propietatem aliquam indiuidualem, ſanitas conſequta eſt, & quartana eleboro aut forti pharmaco acorpore expulſa fuit.Et Hippocrates quandã afferi hiſtoriam 7. epid. Philonis qui cum febre cum morſu culiculari laboraſſet vſu tapſiæ ſanitari reſtitutus fuit. Qui etiam ſi tapſia ſanatus fuerit, non propterea tapſia nos curare debemus; nec aliis ſehamoneatis, medicamentis, cum hoc ab Hippocrate non proponatur immitandum ſed fugiendum potius. Sic nos aſſerimus quod etiam ſi aliqui fuerit ſanitati capitis inunctione ſestituti, non propterea immitandum

Mathiolus celebrat maximè ſuum eleboriſmũ capite de eleboro.

tandum est, quin potius fugiendum : nam hæc sanitas aliás sine capitis vnctione consequenda erat vt cotidie videmus capite tophaceis tumoribus, & gumositatibus pleno, sola iunturarũ inunctione, multos persanari, & solo etiã smilacis asperę vsu, aut solo eiusdem smilacis syrupo. Et si illi quibus caput inungitur lęsionem aliquando nõ suscipiunt magnam hoc est quia cerebro vt pote alijs partibus humidiori maiorem excrementorum copiam congerenti natura varias patentesq; vias fabricauit, per quas expurgaretur : videlicet aures, occulos, nares, palatum, & commissuras & cũ vias alijs patentiores & in maiori quantitate habeat, nihil mirum quod multoties Hydrargirũ cum humore Gallico intro recurrẽte & repercuso iterũ peram pla foramina detrudatur. Sic optimè administramus in phrenitide oxirrodina, quę nullatenus administrãda sunt in pleuritico dolore, aut in aliqua partium internarũ nobilium inflammatione. Hæ igitur experientiæ valde periculosæ, & perniciossæ sunt, cum ipsum experimentum periculosum sit vt Hippo. docet, nõ igitur his experiẽtijs adiũgi debemus ita periculosis & incertis : alijs rationibus quas pro sua opinione confirmanda afferunt ex dictis de argenti viui qualitate facilè respõderi potest & breuitati innitens plus temporis in longis relationibus & casibus, vt contrarij faciunt consumere nollo hoc enim potius tædium parit quám in legendo suauitatem

Vale.